

umbrato, nemini tamen præter ipsos unquam viso, incidensque quis alius in ipsorum literas, numeros 69. & 82. ibi deprehenderet; non video quæ possibile esset hunc ullo ratiocinio indagare, quod numero 69. Germanica vox *Hand* / numero 82. vocabulum *füssen* indicetur; siquidem in formando *Lexico*, numeris iisdem vox quævis alia adjungi ex ipsorum mero arbitrio potuisset.

## AUCTARIUM XIII. TENTAMINIS.

**H**ujus Tentaminis Phænomena & Conclusiones ita explicatè proposita sunt, ut, multa declaratione porro non indigeant. Paucissima igitur hæc annotabimus; & quidem

### AD CONCLUS. I.

De vi elastica compressis tensisque propria dicendum est paucis, unde nam illa sit & cur tam valida. Neque verò in aere tantùm se exerit, prout exemplis multis per singulas fere hujus Tractatus paginas vidimus, sed in aliis quoque quam plurimis e. g. in fidibus seu chordis, quæ validè tensæ ac subito remissæ in se recurrunt; in balistarum arcubus & automatorum chalybeis pinnis; in spongiis, lanis similibusque compressione cessante se sponte sua rursus dispendentibus; in corio violenter diducto & remittente violentiâ, se rursus contrahente, sexcentisque aliis; maximè verò in vasis & sclopetis pneumaticis, in quibus aer ultra modum compressus tanto impetu, qua data porta, prorumpit, ut aquas ad magnam altitudinem ejiciat, globos plumbeos ex intervallo notabili per asseres ligneos, uti pulvis pyrius solet, adigat, pondera ingentia, cum inspectantium stupore loco-moveat.

Hæc verò tanta vis unde aeri cæterisque sub violenta compressione vel tensione consistentibus corporibus accedat, hæc immerito quæritur, atque ita quæritur, ut quærentis desiderium non patiatur eludi se inani *Potentia motoricis media* nomine, quod *Honoratus Fabri* excogitavit, existimans, uti animalia conatu intrinseco, per animalem, quem vocant, motum, & gravia per naturalem, loco suo se restituant; ita compressa & tensa proprio ausu per vim quandam intrinsecam, quæ tamen nec animalis sit nec naturalis sed inter utramque media, se restituere. Etenim, quemadmodum industrius rerum naturalium scrutator, etiamsi concesserit animalium incessum ac motus cæteros ab intrinseca quadam virtute pendere quæ animalis non incongrue dicatur, hoc tamen animalis potentia nomine non satiatur, sed quænam illa sit, in quo consistat, qua ratione partes, & his mediantibus totum corpus moveat, quo sc. modo subtilissima quædam substantia è cerebro per nervos in musculos impetuose diffundatur, inflatisque musculis & inflando decurtatis, tendens,